

The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

Caro siue corpus ac cum fonte primo

Multa nos incommoda exagitant,
quam male conueniat nobis hoc corpus.
Nunc de capite, nunc de uentre,
nunc de pectore aut de faucibus conquerimur;
aliquando nerui nos, aliquando pedes uexant,
nunc detractio, nunc distillatio;
aliquando superest sanguis, aliquando deest;
hinc atque illinc temptamur.

Hoc euenire solet in alieno habitantibus.
Hoc enim corpus non domus sed hospicium
et quidem breue hospicium
quod relinquendum ubi te grauem
esse hospiti uideas.

Seneca ibidem (LXXIX. epistola).

Habebat perfectum animum
et ad summam sui adductum,
supra quam nihil est nisi mens dei,
ex quo pars et in hoc pectus mortale defluxit;
quod numquam magis diuinum est
quam ubi mortalitatem suam cogitat
et scit in hoc natum hominem,
ut vita defungeretur,

→ nec domum esse hoc corpus sed hospitium,
et quidem breue hospitium,
quod relinquendum est ubi te grauem
esse hospiti uideas.

Maximum, inquam, mi Lucili,
argumentum est animi ab altiore sede venientis,
si haec in quibus versatur humilia iudicat
et angusta, si exire non metuit;
scit enim quo exiturus sit qui unde venerit meminit.
Non videmus quam

multa nos incommoda exagitant,
quam male nobis conueniat hoc corpus?
Nunc de capite, nunc de ventre,
nunc de pectore ac faucibus querimur;
alias nerui nos, alias pedes vexant,
nunc deiectio, nunc distillatio;
aliquando superest sanguis, aliquando deest;
hinc atque illinc temptamur
et expellimur.

Hoc euenire solet in alieno habitantibus.

←

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae
morales*, 120.14-16 (L. Reynolds ed., vol.2, p.514,
ll.8-24).